

- l. si quis in principio testamenti*, num. 116. ff. de legatis 3. Tellus Fernandez in l. 17. Tauri, num. 13. Mieres de majoratu, 1. part. quest. 23. num. 2. Alvaradus de conjecturata mente defuncti, lib. 2. cap. 2. §. 1. num. 97. Joannes Gutierrez in cap. quamvis pactum, de pactis, in 6. num. 46. & in cons. 2. num. 6. Angelus ad leges meliorationum, l. 2. glossa 2. num. 2. Burgos de Paz junior civilium, quest. 1. num. 14. Azevedius in l. 1. tit. 6. ex num. 23. & in l. 4. tit. 7. num. 8. lib. 5. novae collectionis Regiae. Pichardus in §. igitur, de pupillari substitutione, num. 4. §. 5. D. Spino in speculo testamentorum, glossa 18. num. 54. Ludovicus Molina de justitia & jure, tractatu 2. disputat. 153. in principio.
- 35 Hieronymus de Caevallos practicarum communium, quest. 310. num. 9. Quod intelligi debet, nisi tempore facti Majoratus, aut meliorationis, vel postea, antequam alter eorum revocaret, possessio bonorum, aut scriptura Majoratus coram Tabellione tradita sit, vel melioratio ob causam onerosam fuerit facta, secundum formam l. 17. §. 44. Tauri: tunc enim revocatio non permitteretur; quod est de mente dictorum Authorum, & in terminis hic adnotavit Mieres ubi supra, dict. quest. 23. num. 2. Joannez Gutierrez in initio cap. quamvis pactum de pactis, in 6. num. 47. in princ. Burgos de Paz junior civilium, quest. 1. num. 15. vel nisi ex scriptura Majoratus, quem vir & uxor constituerunt, constaret, quod unus sine altero Majoratum illum non constituisset, neque alioquin fecisset, ut dicebam supra, num. 23. & advertit Mieres, de majoratu, part. 1. d. quest. 23. n. 3. cujus sententia, ut ibidem dixi, forsan sustineri debet ex rationibus per eundem Authorem adductis, & aliis à me consideratis ibi. Deinde, nisi maritus & uxor faciant simul contractum inferum in tenore Majoratus, vel meliorationis, in quo unus alteri invicem promittit, quod nunquam recedat à tali contractu; nam tunc conjux superflue revocare non poterit ex sententia ejusdem Mieres dict. quest. 23. num. 3. in vers. aut nisi majoratus. qui concludenti ratione confirmat, & verè explicat l. 17. §. 44. Tauri, ut ibi videri poterit.
- 38 Ac denique, nisi maritus ipse solus testetur ex consensu uxoris, constitutæque Majoratum, aut meliorationem de bonis, tam ipsius, quam uxoris; tunc enim mortuo marito, ejus morte confirmatur hæc ultima voluntas, tam quoad bona viri, quam quoad bona uxoris, l. nec fratris, C. de donationibus causa mortis, l. sicut. §. venditionis, ff. quibus modis pignus vel hypotheca solvitur. Ex quibus adnotantur Doctores in mille locis testamentum, in quo quis de re aliena disponit, domini consensu expresso, testantis morte adeo firmum effici, ut idem dominus bonorum contraria voluntate illud mutare non possit, idque in Majoratu, & melioratione, de quibus agimus nunc, Capellanæ etiam, aut Patronatus institutione, & in quacumque alia dispositione, rectè acceperunt Rodericus Suarez, Jafon, Guil. Benedictus, Tellus, Covarruvias, Padilla, Menchaca, Peralta, Burgos de Pace senior, Pechius, Rolandus, Marsarius, & Cephal. quos in unum recenset, & sic firmat Molina de Hispanorum primogeniis, lib. 4. cap. 2. num. 84. vers. sed hoc limitari solet. Mieres de majoratu, 1. part. quest. 23. videndus ex num. 4. usque ad num. 10. Bernar. Diaz regula 735. Matiençus in l. 1. tit. 6. glossa 1. num. 3. & ibidem Azevedius, num. 23. §. 25. lib. 5. novae collectionis Regiae, Salazar de usu & consuetudine, cap. 4. num. 27. Alvaradus de conjecturata mente defuncti, lib. 2. cap. 2. §. 1. n. 99. Burgos de Paz junior civilium quest. 1. num. 15. Joannes Gutierrez in dict. cap. quamvis pactum, in initio, num. 46. Doct. Spino in speculo testamentorum, glossa 18. de melioratione, num. 55. Molina de justitia & jure, tractatu 2. disputat. 152. in finalibus verbis. Angelus ad leges meliorationum, l. 2. glossa 2. num. 3. Pichardus in §. igitur, de pupillari substitutione, num. ultimo. Caevallos communium practicarum, quest. 310. ex num. 10. qui ex mente communi veram hujusce rei rationem assignat, videlicet, quod quando unus consentit alteri de rebus suis disponenti, velut contractus quidam celebratur ex
- reciproco ipsorum consensu; & sic nimirum sic revocari non possit, ex vulgatis juris regulis, & principiis, & non obscure significat textus in d. §. venditionis.
- Ex his autem, & ultra ceteros hucusque Scribentes, 39 ad nonnulla inferri posse consideraveram: & in primis, non esse silentio præmittendam singularem, & notandam quidem considerationem Joannis Gutierrez in d. cap. quamvis pactum, de pactis in 6. in initio, num. 47. per totum: Is enim superiorem resolutionem procedere etiam de jure Regio, post decisionem, l. 17. §. 44. Tauri, rectè affirmat, ut scilicet nec ex dispositione earum legum revocari possit ab uxore Majoratus, aut melioratio de ipsius consensu, & de bonis communibus à marito tantum facta, & leges prædictas singulariter, & novè declarat, ut latius ibi videri poterit. Addiderim ego libenter duo: Primum, declarationem prædictam ad dictas leges Regias à nemine antea traditam in terminis, solum prædictum Authorem sic tradidisse, ejus tamen sententiam ex mente esse ferè omnium Authorum hujus Regni in proposito scribentium, qui in terminis ipsarum legum sic præsentunt aperte, dum circa hoc innovatum fuisse aliquid per eas leges non animadvertunt, sic potius transeunt cum resolutione communi, etiam post dictas leges Regias, ac inter alios apertius Pelaez à Mieres, qui in declaratione ipsarum legum saepe insistens, d. quest. 23. à princ. 1. part. nihil novitatis detegit in illis. Secundum est, sententiam ejusdem Gutierrez, rectè probatam per Azevedium in l. 1. tit. 6. n. 26. versiculo, neque supradictæ, lib. 5. novae collectionis Regiae, solutionem tamen ab eo traditam ibi, non quidem esse novam, ut ipse demonstrare velle videtur, sed potius eundem Joannem Gutierrez tradidisse eam loco relato supra, & exactius quidem, ut ibi videri poterit.
- Secundò inferitur ad ea, quæ in proposito scribit Rodericus Suarez in d. l. quoniam in prioribus, limitat. §. in vers. & hæc nota ad testamenta, circa quæ etiam nullus Recentiorum insistit: dicit enim ibi præfatus Author, consensum uxoris in proposito casu, cum maritus facit testamentum de bonis tam ipsius, quam uxoris, solum operari unum effectum, quod licet ipsa possit revocare, si faceret testamentum, tamen ex quo consensit maritum de bonis suis testari, confirmabitur testamentum morte mariti, etiam in bonis uxoris; & sic ipsa non poterit revocare: non tamen operatur effectum, ut possit pater inter filios disponere, nec eos in Legitima amplius gravare in bonis uxoris; & reddit veram rationem, quia quemadmodum ipsa testando non posset gravare, ut in l. quoniam in prioribus, C. de officioso testamento: ita nec consentiendo in testamento mariti; cum ille qui prohibetur alienare, prohibetur & alienanti consentire, l. 2. C. si adversus donationem, & licet Rodericus ipse, sub verbo, videtur, sic crediderit posse dici: id tamen adeo verum est, ut nullam in se difficultatem habeat; quapropter dumtaxat addiderim, posse maritum de consensu uxoris sic testantem, aliquem ex filiis communibus in tertio bonorum meliorare, ex ratione ejusdem Roderici à contrario sensu: quemadmodum enim ipsa testando posset meliorationem facere; ita & consentiendo in testamento, aut dispositione mariti, ab eo poterit unus ex filiis meliorari, aut etiam plures; quod similiter absque difficultate procedit; nec alia comprobatione indiget.
- Tertiò inferitur ad resolutionem, quam tradit Mieres 42 de majoratu, 1. part. quest. 23. num. 8. quo loco existimavit, quod si maritus faciat Majoratum de re uxoris, consentiente ipsa, non poterit filius primogenitus petere aliquid in vita patris, licet mater sit mortua, quod simpliciter, aut sic indistinctè dictum stare non posset ex vulgatis juris regulis, & principiis. Addit postmodum Author ipse id procedere, si mater habeat licentiam ad faciendum Majoratum, nam alias non posset mater per illum actum filio præjudicare in remanente bonorum; quod verè dictum est, & confirmatur ex his, quæ ad explicationem Roderici antea dicebamus, quem Mieres non

De testamentis plurium in eadem charta confectis. Cap. XVIII. 95

- non retulit ibi. Addiderim ego, in proposito casu patrem habere debere usumfructum in Majoratu filii de bonis matris, atque ex consensu ipsius à marito instituto quandiu filius ipse in potestate parentis remanet, ex his, quæ in Majoratu obviente filio ex linea materna scribunt Antonius Gomezius in l. 48. Tauri, num. 3. Molina de Hispanorum primogeniis, lib. 4. cap. 19. ex num. 18. cum segg. Mendez in repetitione l. cum oportet, C. de bonis quæ liberis, 1. part. num. 37. & 2. part. num. 106. Matiençus in l. 9. tit. 1. glossa 1. num. 5. lib. 5. novae collectionis Regiae, & sic antea quam verificetur decisio l. 48. Tauri, quæ hodie est l. 9. tit. 1. lib. 5. Compilationis, ubi plenè declarant Matiençus, & Azevedius, Antonius Gomezius in d. l. 48. Tauri; tunc enim nullum usumfructum penes se retinere poterit pater, ex dispositione earum legum: in Legitima autem, neque in usufructu ejus nullum gravamen imponi poterit ex eisdem, quæ superius diximus.
- 43 Quartò inferitur ad explicationem questionis, quam adducit Rodericus ipse Suarez in d. l. quoniam in prioribus, in limitat. §. in vers. & per prædicta alius dicebam; ubi ex ratione eorum, quæ superius tradidimus, dicebat alius in questione de facto, cum quidam miles haberet licentiam ipse solus ad majoratum faciendum de bonis suis, & ipse fecisset de bonis suis & uxoris constante matrimonio acquisitis, cum consensu uxoris, quod ita fuit validum, quod morte ejus fuit confirmatum, nec uxor potuit illud revocare. Id enim ego verissimum puto, quamvis ipse Author cogitandum reliquerit, nec determinare ausus fuerit, nihilque esse, quod præfata dispositioni impedimento esse possit: quamvis enim licentia Regia marito dumtaxat concessa fuisset, ut ipse solus Majoratum de bonis suis facere posset; id tamen non excludit, quin etiam & de bonis uxoris, modisque à jure introductis, & intra quantitatem lege permissam Majoratus ipse fieri poterit, quia per licentiam Regiam marito tantum concessam, beneficium, aut licentia legis, ex qua licitum est in tertio, & quinta bonorum parte Majoratum instituire; nequaquam restringitur, nec debet filio, in cujus favorem etiam, non tantum parentis, concessa fuit, obnoxia esse licentia ipsa, utpote cum, eà etiam non interveniente, maritus posset de substantia uxoris, consentiente ipsa, in quantitate à lege permissa Majoratum instituire, ut aperte supponit Mieres de majoratu, dict. quest. 23. num. 8. Nec poterit uxor revocare ullo modo, cum vis, & ratio dictorum jurium, hoc est, l. nec fratris, C. de donationibus causa mortis, & l. sicut, §. venditionis, ff. quibus modis pignus, vel hypotheca solvitur, ac etiam traditiones Doctorum non debeant ex licentia Regia sic concessa alterari; imò ita militent ut in alio casu, cum licentia illa marito concessa non fuisset.
- Subdit statim Rodericus, postquam superiora cogitanda reliquit, in hunc modum: Non tamen valuit nisi eo modo, quo valeret, si ipsa per se faceret testamentum, quia ipsa non poterat filium unum meliorare, nisi in tertia & quinta. Quod verissimum est, ut vides; quinimò et si filii non extarent, si maritus consentiente uxore ex bonis omnibus ipsius Majoratum institueret, tunc licet posset uxor revocare, ex quo nulla bona ei supersint, de quibus testari possit, & quia esset facere donationem omnium bonorum, quæ à jure reprobat, ut cum aliis resolvit Burgos de Paz junior civilium, quest. 1. num. 16.
- 44 §. 17. Hieronymus de Caevallos practicarum communium, quest. 311. num. 11. qui moventur præcipue ex decisione l. 69. Tauri, quæ hodie est l. 8. tit. 10. lib. 5. novae collectionis Regiae, de quarum legum materia ultra Anton. Gomezius, Matiençus, Azeved. & alios ibi, vide omnino Duënas regula 219. Molina de Hispanorum primogeniis, lib. 2. cap. 10. à n. 10. usque ad n. 26. Aldobrandinum in cons. 104. volum. 1. Hippol. Riminald. in cons. 242. ex num. 58. lib. 3. Gamam decis. 166. & decis. 255. infinis alios sciens consultoque præmitto, propterea quod ab Additionatore Gamæ recensentur in unum, in addit. ad d. decis. 166. 1. part.
- Quintò inferitur ad explicationem eorum, quæ in 45 proposito adnotavit Gregorius Lopez in l. 9. tit. 13. part. 5. in glossa, et senior lo consentisse, dicens quod si maritus de consensu uxoris facit Majoratum de re uxoris, illa consentiente, taliter quod maritus disponeret, ut de re propria ipsius mariti, si postea maritus revocet donationem, aut majoratum, remanebunt bona apud maritum, & non redibunt ad uxorem. Ad quam questionem inducit etiam doctrinam Baldi in l. 1. C. si unus ex pluribus appellatibus, in vers. item quero: addit tamen, quod si Majoratus ex tali re factus fuit in filium communem, videtur quod filio debeat remanere ex defectu causæ finalis, vel quod reverti debeat ad matrè; & tandem cogitandum relinquit, & Gregorii mentionem faciunt, sed amplius non insunt, Mieres de Majoratu, 1. part. quest. 23. n. 4. in vers. & l. 9. Joannes Gutierrez in repetitione cap. quamvis pactum, de pactis, in 6. in initio, num. 48. qui sic indistinctè transeunt cum illo: in 46 sinit tamen, ac de veritate ejus veretur Azevedius solus in l. 1. tit. 6. num. 26. lib. 5. novae collectionis Regiae.
- Ego verò, ut rem hanc sub obscuram quidem, & val. 47 de dubiam explicem, nonnulla adnotare decevi, ex quibus cum occasio se offeret, facilius id diffiniri posse existimavi, nec æquum esse, questionem prædictam à nullo hæcenus explicatam, silentio præmittere, sic, ut nusquam ejusdem vera resolutio habeatur.
- Et in primis constituo, negari non posse, qui in casu 48 prædicto, iustam habuerit dubitandi rationem Gregorius Lopez, nec immeritò cogitandum reliquerit dubium prædictum, tum ob rationes, quas pro utraque parte non malè consideravit Azevedius loco relato supra; tunc etiam, quod mortua uxore, de cujus re Majoratus fuit institutus, durum videretur alicui, quod posset maritus revocans Majoratum, ab eo auferre, qui ex voluntate, & consensu uxoris fuerat jus jam quæsitum, ut mox dicemus, viamve aperiri, quæ viventium, defunctorumque voluntates faciliè valeant defraudari, aut saltem, posito quod ex natura actus absque injuria alterius Majoratum revocare liceat, difficillimum esse dijudicare, quid in casu proposito de bonis fieri debeat, cum sit voluntas uxoris dumtaxat pro eo, qui ad Majoratum fuit non nominatus, non pro alio, nec aliter in casu revocationis consultum appareat.
- Secundò constituo, in propoita specie, utcumque res se habeat, mihi equidem compertissimum esse, si maritus postea revocet Majoratum, quod bona hujusmodi penes eum nullo modo remanere possint, nec debeant, idque propter rationes consideratas ab Azevedio ubi supra, dict. n. 26. quæ fortiter urgent, & verè concludunt. Inde & consequenter, quod neque de eis bonis disponere potest maritus aliquo modo; nam etsi concedamus, liberè eum revocare posse, tam ex natura actus, qui geritur, quam ex juris dispositione, juxta ea, quæ resolvimus supra: ipsum tamen penes se retinere posse bona, aut de illis aliquo modo disponere, nullus quidem concedere audebit, qui voluntatem prædefuncti, ex cujus consensu in certam aliquam personam Majoratus fuit institutus, ac juris ratione maturè perpiciat, ut rectè asserit Azeved. in d. l. 1. tit. 6. n. 26. ante fin. lib. 5. novae col. Regiae.
- Tertiò constituo, ex his facile constare, questionem; 50 aut litem super bonis prædictis, inter eum qui nominatus fuit ad majoratum, & successores ab intestato futuram, aut forsan cum hæredibus, si hæredes ex testamento fuisse contingeret; maritum verò à peritione, aut retentione eorum excludendam omnino, nec jure aliquo posse litem iustam movere.
- Quartò constituo, in casu prædicto, bona quidem 51 libera manere, nec vinculo, aut Majoratu subjecta, idque non ex ratione considerata per Azevedium, in dict. l. 1. num. 25. in vers. vel dicendum, quæ minime urget in questione Gregorii, quippe cum ille loquatur, quando maritus de consensu uxoris, & de re sua tantum uxoris ejusdem, tanquam de propria Majoratum instituit; Azevedius verò loquitur in casu, quo de rebus uxoris,

uxoris, & ejusdem mariti simul maritus ipse Majoratum instituit: in quibus terminis adduci posset præfati Authoris ratio, quod sub una dispositione, & constructu verborum, uxoris & mariti dispositio facta fuit, & una tantum est: Ratio ergo in alio consistit, ad quod nullus hæc animadvertit in proposito, videlicet, quod cum maritus testatur de re uxoris, ex consensu ejusdem, vel Majoratum instituit, licet mortuo marito revocare non possit uxorem dispositionem; nam ejusdem mariti morte confirmatur hæc ultima voluntas, ut certum est, & diximus *supra*, num. 38. maritum tamen ipsum revocare posse testamentum, aut Majoratum à se ex consensu uxoris factum, nec ante mortem ipsius confirmari, nullus negavit: qui in proposito scriptis, unanimiter potius omnes admittunt, ut constat ex eisdem relatis *supra*, *dict.* num. 38. & aperte sentit cum aliis Molina de *Hispanorum primogeniis*, lib. 4. cap. 2. num. 84. in *vers.* sed hoc limitari solet. Sed quid immoramur? ipsemet Gregorius de revocandi potestate non dubitavit, nec etiam dubitarunt Authores relati *supra*, qui dubium ejusdem excitant: sed pro certo supposito, quod poterat maritus revocare, quid inde de re uxoris fieri deberet, in quaestionem adducunt: si igitur verum est, ante mortem mariti, dispositionem eo modo confectam non confirmari, vel saltem in ejus vita revocabilem esse, necessarium est, & consequens, ut revocatione facta per maritum, in casu prædicto bona libera remanere debeant, tanquam si ab initio nihil factum fuisset; nec Majoratus jure possideri possint ab alio: ita ut si extent filii communes inter eos æqualiter debeat dividi res, ex qua institutus fuerat Majoratus, argumento text. in l. *unum ex familia*, §. *rogo*, ubi eleganter Petrus de Peralta ex num. 14. cum *segg.* & in l. *cum quidam*, ff. de *legatis* 2. Molina de *Hispanorum primogeniis*, lib. 2. cap. 4. num. 41. Mieres de *Majoratu*, 1. part. *quest.* 48. ex num. 13. cum *segg.* aut filii non existentibus vel ad hæredes, si forte fuerint, vel ad successores ab intestato pertinere debeant.

Quintò constituo, nihil urgere in favorem ejus, qui nominatus est ad Majoratum, nonnulla, quæ de jure jam quæsto ex consensu uxoris non tollendo, atque ex doctrina Bartoli in l. *qui Roma*, §. *Flavius*, ff. de *verborum obligat.* Adduxit Azevedius in *dict.* l. 1. tit. 6. lib. 5. num. 26. Nam ultra quod doctrina Bartoli in eo loco, latiore interpretationem requirit, & juxta communes Doctorum traditiones intellecta, in contrarium non facit, ut constat ex his, quæ scribunt Antonius Gomezius in l. 40. *Tauri*, ex n. 29. Dñas *regula* 216. Molina de *Hispanorum primogeniis*, lib. 4. cap. 2. ex num. 73. cum *segg.* Mieres de *Majoratu*, part. 1. *quest.* 24. per totam. Gratianus *regula* 410. Joannes Gutierrez *practic.* lib. 2. *quest.* 52. & multi alii, cum quibus plenè additionator Gamæ in *addit. ad decisionem* 8. part. 1. Hieronymus Cævallos *practicarum communium*, *quest.* 249. in casu prædicto argui non potest de non præjudicando juri quæsto ex consensu uxoris: quippe cum jus illud ex ea dispositione acquisitum fuerit, quæ sui naturæ revocabilis est; nec ante mortem mariti confirmatur: unde possent potius retorqueri in contrarium communes Doctorum resolutiones, juxta ea, quæ scripserunt Decius in *conf.* 58. n. 3. & in *conf.* 607. n. 8. Socinus in *conf.* 236. lib. 2. Mieres d. *quest.* 24. num. 6. in *vers.* quod si jam venit dies.

Sextò constituo, præfata rationem, & resolutionem superiorem æqualiter etiam militare, cum à marito ex consensu uxoris factus est Majoratus de bonis tam ipsius, quam uxoris, sicut in superiore, cum de re tantum uxoris factus est de consensu uxoris ipsius: & tunc non male urgere rationem per Azevedium consideratam in d. l. 1. tit. 6. lib. 5. *dict.* num. 26. in *vers.* vel dicendum ut bona uxoris libera remanere debeant, ut superius diximus.

Septimò tandem constituo, præfatos Authores, qui Gregorii Lopez dubium excitant, ac inter eos Gregorium ipsum, notà aliquà dignos quidem esse, eo quod supponentes pro certo, licere marito jure ipso, Majoratum

de re uxoris sic instituti revocare, dubitare non debuerunt admisso eo, an remaneret Majoratus: quomodo enim Majoratus subsistere poterat dispositione revocata, ex qua initium sumere debuisset; aut quo titulo posset nominatus petere Majoratum? Et hæc de his, quæ, ut vides, non absque maximo labore, assiduæque cogitatione digeruntur nec alibi erant sic scripta per alium.

Nunc verò quinto loco, & principaliter constitutum est, dubium maximum esse, posito, quod verissimum est, ut cum testamentum sit à duobus in eadem scriptura aut charta, superviventi licet pro sua parte revocare illud, etiam si usufructu, aut fructibus bonorum fructus sit, aliove commodum quocunque, atque etiam si in testamento onus non revocandi testamentum ipsum expresse fuisset injunctum, ut *supra* resolvimus, an testamentum dicto in casu revocans, perceptos fructus, sive commodum ex testamento sibi proveniens restituere sit adstrictus; in quibus terminis quaestionem proponit Burgos Salon de Pace in l. 3. *Tauri*, 2. parte, *conclusionem* 6. num. 1228. & eam non dissolvit, dumtaxat dicit, complura ad utramque partem expendi posse, & super hoc accuratius cogitandum esse, & præter Doctores in locis relatis ab ipso *num.* *præcedentibus*, videre oportere textum in l. *cum donationis*, C. de *transacionibus*, & in l. *Imperator*, §. *cum quidam*, ff. de *legatis* 2. & in l. 2. tit. 4. partit. 6. & Alexandrum in *conf.* 113. *Persepolis* his, lib. 6. in *columna penultima*. Videamus nunc, an ex his aliquid possit deduci, quo dubium præfens valeat diffiniri.

Et in primis, text. in *dict.* l. *cum donationis*, C. de *transacionibus*. non obscure probat, quod licet pollicitatio de instituendo transigente hæredem, non impleatur ab eo, cum quo transigitur, vel cui donatur; transactio tamen, vel donatio non rescinditur, ut Baldus ibi, in *summario* adnotavit, & ibidè Glossa magna inde deduxit, liberationem ab aliquo alicui concessam sub modo, ut is eundem liberantem hæredem instituat, validam esse, cum etiam non secuta institutione, in pari causa turpitudinis, potior sit conditio possidentis, & sic debitoris, quamvis liberatio omninò nulla esset, si sub conditione concepta fuisset, autoritate ejusdem Glossæ, quæ frequentiori Doctorum calculo recipitur, ut proficitur Covarruvias in cap. *cum tibi*, de *testamentis*, num. 13. in *vers.* ex *quibus ibi*, & hoc in effectu dixit Alexander in d. *conf.* 113. in *columna penultima*, Alias *mibi*, num. 19. quem retulit Burgos Salon ubi *supra*; ibi enim ex sententia dictæ Glossæ probavit, quod quamvis conventio de dividenda certo modo hæreditate viventis, non valeat; tamè donatio per me facta tibi sub hoc modo, seu ob hanc causam, videlicet quod debeas hæreditate talis viventis mecum communicare, non vitatur, sed vitatur ipse modus, adeò quod ego qui dono, si volo agere ad modum implendum, non debeo audiri, ut aliorum relatione Alexander ipse probavit. Ex quo, & prædictis non incongruè deducitur in terminis nostris, quod licet supervivens voluntatem præmortui non servaverit, sed dispositionem pro sua parte revocaverit, prout jure potest, nihilominus vitari non debeat alterius dispositio, ex qua percipit commodum; & sic non secuto etiam effectu, quem præmortuus desideravit, cum in pari causa potior sit conditio possidentis, fructus aut commodum perceptum retinebit, nec tenebitur restituere, juxta sententiam dictæ Glossæ junctæ suo textui, quæ aliter induci non valet.

Textus verò in *dict.* l. *Imperator*, §. *cum quidam*, ff. de *legatis* 2. verè induci non potest in proposito, propterea quod in specie illius textus, compensatio fit, vel computatio virilis ad virilem, ut honoratus in Quota, gravari non debeat in alia Quota ultra vires relictæ: inde est, quod si plus esset in virili portione, quam fratris relictus haberet: etiam fructuum quos patruus percepit, vel cum percipere potuit, dolo non percepit, haberi debere rationem; quod longè differt à casu nostro, in quo minime fit computatio hæreditatis præmortui, cum hæreditate superviventis, sed dumtaxat inquiritur de fructibus,

fructibus, aut de commodis ex hæreditate præmortui perceptis ab eo, qui testamentum revocavit pro sua parte, nec contingere potest inconveniens prædictum gravaminis, quod ibi principaliter inspicitur; imputet enim sibi, qui eam viam dispositionis elegit, per quam iudicium suum subverti posset, fructibusve, aut alia utilitate fraudari.

Denique *dict.* l. 2. tit. 4. partit. 6. quam ipse Salon expendit loco relato *supra*, in neutram partem induci potest, quoniam dumtaxat dicit, quod conditiones de præterito, vel de præsentis non suspendunt testatoris dispositionem, ideo non sunt propriæ conditiones, nisi quæ sunt de futuro; quod si quis dicat, cum de futuro sunt, impleri debere conditiones, aperte denotare eam legem, & sic videri quod in proposito facere possit; nihil inde deducet, cum ea conditio servari non debeat, quæ ad hæredem certum instituendum quis adstringitur, ut mox dicemus: quod ad fructus verò attinet restituendos, vel retinendos, nihil etiam ex illa lege potest deduci.

Molina verò de *Hispanorum primogeniis*, lib. 4. cap. 2. num. 84. *vers.* *utrum autem in eodem dubio*, an scilicet Majoratu à duobus simul confecto, & à superviventi revocato, fructus percepti ab ejus successore sint restituendi, vel non, nihil etiam resolvit, sed dumtaxat dicit videnda esse ea, quæ circa id congerunt Palacios Rubios in *repetitione rubricæ*, §. 69. nu. 12. Segura in *repetitione leg.* 1. §. *si vir uxori*, ff. de *acquirenda possessione*, Greg. Lopez in l. 8. titulo 4. partit. 5. in *verbo*, en vida, *vers.* *ut etiam*. Bæcæ de non meliorandis dotis ratione *filii*, capite 33. per totum. Antonius Gomezius tom. 2. *variis*, cap. 4. num. 21. & lib. 1. cap. 12. nu. 4. Tiraquellus de *jure constituti*, ampliat. 24. num. 7. & in l. *si unquam*, in *verbo*, revertatur, nu. 235. C. de *revocandis donationibus*. Horum omnium resolutiones à me diligenter prælectæ dumtaxat evincunt, donationem filio factam, & tanquam in officiosam revocatam, vel factam extraneo, ex supervenientia liberorum revocari sine fructibus medio tempore perceptis; idemque observandum in alia dispositione quacunque, quæ valet statim, nec suspenditur ejus confirmatio post mortem alicujus, vel si ex voluntate domini rem quis possideat, vel cum is, qui fructus percepit, erat interim dominus, etiam si res esset subjecta restitutioni; sed non sunt expressæ in terminis nostris ad decisionem præfati dubij, quamvis rationes earum expendi possint in favorem superviventis, ut commodum quod ex testamento præmortui habuit, aut fructus quos percepit, restituere non teneatur.

Azevedius etiam in l. 1. tit. 6. nu. 25. lib. 5. *novæ collectionis Regiæ*, superiora non disputat, nec certam nobis resolutionem ostendit, sed remittit se ad ea, quæ Burgos de Paz, & Molina ubi *supra* scripserunt, qui, ut vidisti, dubitationem hanc nullo modo diluunt.

Et denique Alvarus Valascus, qui nihil dicit ex his, quæ superius à me adnotata fuere, in *consultat.* 7. nu. 7. per totum, latius rem hanc pertractat, & in proposito movet dubium, an supposita validitate institutionis ad invicem inter conjuges, possit alter ex conjugibus, postquam successit in hæreditate alterius prædefuncti, & eà potitus est per totum vitæ spatium, testamentum pro parte sua mutare, & substitutum, quem ambo de communi consensu in testamento vocarunt, portione sua privare, pro sua parte testamentum mutando, ut quotidie solent facere conjuges superstites: Et *dict.* habere hoc plus quam dubitationis propter fraudem, quam conjux superstes videtur commisisse; forsan enim uxorem non instituit, si cogitasset eam mutaturæ voluntatem, & alteri quam personæ designatæ hæreditatem suam relicturam, cum juxta juris regulas ex fraude sua nemo lucrum consequi debeat: qua ratione non defuisse viros doctos, qui dixerunt, quod si conjux superstes possit testamentum mutare, debet tamen refundere hæredibus mariti, quicquid ex ejus testamento lucrifecerit, ne ex dolo suo commodum reportet; Joan. de *Casillo Quotid.* *Controv. Juris* Tom. II.

ipse tamen Valascus contrariam sententiam, & in jure, & in praxi receptam esse affirmat, imò quod conjux superstes possit liberè testamentum revocare pro parte sua, nec quicquam de lucro testamenti refundere teneatur: & in id refert Speculatorem, Oldrad. Suarez, Alciatum, Tiraquellum, Burgos, Salon de Pace, & Petrum Pechium; qui omnes, quamvis expresse agnoverint, conjugem superstitem liberè posse testamentum pro sua parte mutare, quod verissimum est, nec ullam habet dubitationem; tamen de fructibus nihil dicunt, nec etiam exprimunt, an conjux superstes, quicquid lucri habuit, refundere teneatur, vel non teneatur, ut ipsos legendo, dignosces apertius: Salon etiam, & Molina in locis relatis à prædicto Autore, præfatum dubium non dissolvunt, sed pro solutione ejus legendos nonnullos Authores admonent, ut superius vidimus, quamvis ipsi, liberè posse à supervivente pro sua parte mutari dispositionem expresserint.

Ego verò, ut in præfato dubio sententiam meam interponam, postquam longa consideratione processi, sequentia constituere omninò necessarium duxi, ne indistinctè, aut confusè, distinctione potius, & resolutione procedam. In primis, dubij prædicti exemplum aut casum tripliciter proponi posse, vel ut proponebatur *supra*, num. 55. vel ut Valascus nunc relatus proposuit, vel etiam & generaliter, cum testamentum facient maritus & uxor simul in eadem scriptura, aut charta; & de rebus utriusque certo modo, aut in certam causam disponunt, vel ut Majoratus constituatur, aut aliquod pium opus peragatur: & in dispositione cavetur, quod supervivens per tempus vitæ suæ, bonis omnibus, aut usufructu, eorumve fructibus fruatur & post mortem ejus, bona omnia in id convertantur, quod expresse cantum fuerit; tunc enim succedit dubium propositum, an superstes revocans testamentum pro sua parte, lucrum quod habuit ex testamento, fructusve, quos percepit, restituere teneatur.

Secundò constituo, præmittendum esse unum casum, in quo nullus equidem dubitare poterit, nempe quando in casu prædicto expressa adstet testatoris dispositio, quæ cautum sit expresse, quid in casu revocationis Majoratus alteriusve dispositionis fieri debeat; quamvis enim verum sit, ad hæredem aliquem instituendum, dispositione nulla quem adstringi posse, nec etiam esse viam, per quam non liceat testatori testamentum suum immutare: tamen in casu revocationis aliter disponere, vel dispositionem revocare, aut fructus, commodumve superviventi relictum adimere, illudve jubere restitui, jure quidem poteritis, qui cum alio simul testatur, nec aliter in causam expressam testari vult, quam si is, qui simul sibi testatur, voluntatem suam adimpleat; quemadmodum ergo supervivens liberè potest dispositionem immutare, nec hæreditatis additione, fructuumve perceptione, onus sibi impositum agnovisse censetur, ut mutare nequeat; sic etiam & præmortuus in casum revocationis sibi consulere, & de fructibus, hæreditatève sua ad alium modum disponere, ut voluntas ejus modis omnibus adimpleri debeat, juxta juris regulas, vulgatæque, & communes traditiones Doctorum: quod licet inter omnes Scribentes; qui hoc capite præcitantur, sic in specie adnotatum non fuerit; nullus tamen eorum negavit: imò in fortioribus terminis Mieres, & Pechius probant, ut vidimus *supra*, num. 23. & statim dicemus: & quamvis in eisdem terminis, in quibus Mieres loquitur, contrà tenuerit Valascus d. *consult.* 7. nu. 7. & 8. tamen in casu voluntatis expresse nihil dixit, sentiens apertè, in eo dubium non esse, & coadjuvatur ex his quæ cum Placentino, Jac. Butrig. Bella Pertica, Cino, Baldo, Saliceto, Alberico, Fulgoso, Jafone, & Alciato, observavit Covarruvias in cap. *cum tibi*, de *testamentis*, num. 13. in *vers.* nec illud hac in re: coadjuvatur etiam ex textu singulari, & notando, ad quem miror nullum ex Scribentibus omnibus in proposito animadvertere, in leg. ex facto, l. 7. ff. ad *Trebellianum*, ubi Ulpianus